



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 31. Variæ Clementis VIII. Papæ Constitutiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

exemplum Protestantes pari repugnandi aviditate in variis urbibus sequebantur, quocirca eorum bona in temeritatis suæ poenam proscripita fuere.

Sæcul. XVI.  
A.C.1599.

§. XXXI.

*Variae Clementis VIII. Papæ  
Constitutiones.*

Præter diversa minoris momenti Decreta hoc anno Clemens VIII. summus Pontifex plures edidit Constitutiones, inter quas prima die vigesima prima Februarii edita Monasterium eo fine erigi curabat, ut duntaxat pauperes puellæ, quæ in Romana urbe omnium auxilio destitutæ vagabantur, si forte earum quædam solemnibus Religionis votis sese Deo obstringere vellent, in huiusmodi Conventum, cui Patronum præfecerat sanctum Urbanum, recipi possent. Altera concernit quædam decreta pro bono regimine Fratrum Ordinis Beatæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum: edidit quoque idem Pontifex die decima quarta Julii aliam Constitutionem, in qua Cæremoniale, ut vocant, Episcoporum ejus jussu emendatum, typisque editum approbavit: die autem decima tertia Novembris eodem anno quoddam promulgavit diploma, vi ejus Italicam Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congre-

Bull. mag.  
tom. 3.

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

Q q ga

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1600.**

gationem ab Hispana penitus segregatam adjectis omnibus ejusdem Congregationis privilegiis instituit, ac Conventum ejusdem Ordinis apud Ecclesiam Beatæ Virginis de Scala nuncupatum erexit: insuper Romæ Collegium pro Scoticæ Nationis juventute literis imbuenda instituit, amplisque redditibus dotavit, hancque in rem die quinta Decembris singularem edidit Constitutionem: præterea ejusdem mensis die nono Diplomate præcepit, ut, quamvis Gregorius XIII. solum Patribus Societatis ad Japoniæ Provinciam Evangelii prædicandi causa transmigrandi facultatem concessisset, nihilominus aucta mese dominica etiam alii Ordinum Mendicantium Religiosi, non tamen ex Insulari Philippinis, sed duntaxat per Lusitaniam in Indias proficisci, atque ibidem Evangelium annuntiare valeant: extat quoque alia ejusdem Pontificis Constitutio die vigesimo nono Decembris promulgata, qua regulam Congregationis Regularium, qui infirmis assistunt, commendabat. Denique alio Diplomate mandavit, ut Judices, & Ministri in causis ad sanctam Inquisitionem spectantibus omnia gratis expediant, necnon mandata Universalis Inquisitionis Romanæ integra fide exequantur.

§. XXXI.